

Summus Dux, cum Duce redux.

PEr varios casus, per multa pericula præceps,
Carolus *Hesperias Princeps dū tendit in oras,*
Ausis insignis Iuvenis, gestisque beatus;
Dux *Deus in cœlo (sunt cuj regalia curæ)*
Extitit, atq; animo Dux, *præstans fœmina facti*
(Fœmina, fœmineo nam quis non cedat amori?)
Ast inter proceres quis Dux, *cuj credere tantum*
Et regni, & Regis pignus, terraq; mariq;
Dignus erat, tacitâ volvebat mente Iacobus
Anxius, & cæcos eventus pervolat omnes.
Hunc pietas, hunc sancta fides, hunc bellica virtus
Regi offert, hunc nobilitas per secula clara,
Hunc quod longinquas olim percurrere terras
Doctus, multorum mores lustrauit & vrbes;
Maxima sic inopem Iacobum *copia reddit.*
Atis, erat medios inter, dulcissimus Atis,
Splendens seu stellas cœlo inter Luna minores;
Atis pulcher Atis, tum mente & corpore gratus,
Egregio flore ora nitent, totusque renidens
Delicijs, quocunq; micat, succendit amorem;

 Hunc

Hunc placet ire viam: placet ah! placet at quia tantum,
Displicet; & tristi secum hæc sub corde volutat.
Heu! quid agam, vario distractus pondere rerum?
Mille adstant, & mille viri; & de millibus vnum
Cuius consilio, fideique, soloq; saloq;
Committam carum Carlum *mens nescia figi*
Non cernit; solumq; Atin, compulsa, ministrat.
Infœlix! animas cogor dimittere binas,
Protinus expirat qui tantum emiserit vnam.
Natus vita mea est heu! prima, Atisque secunda;
Natus cui viuo, Atis qui in me viuit amore.
Namq; lubens fateor, miseri post fata Carinj
Solus hic allexit sensus, mentemque dolentem
Solatus, Regi vitales addidit auras.
Ergo ego cui potius natum committere tentem,
Quàm cui se genitor commisit pectore toto?
Ille eat, hoc certum est: ô qui regis omnia nutu
Da pater auxilium, cœloq; hæc omnia firma.
Hîc paulum residens agitatâ mente Iacobus
Ambos accersit thalamis, dein talia fatur.
Carle *meæ vires, & magna potentia regnj,*
Carle *salus patris, si audenti extrema cupido*
Strenua cœpta sequi est, latosq; inuisere gestis
Hesperiæ campos, Atis mihi gratior vnus
Sit tibi dux, aptusq; viæ comes, atq; laborum;
Hunc cape consilijs socium, cui pectore primum est
Inseruire tibi, cuncta & sufferre pericla.
Et vitæ, & mortis, dum se per singula fidum
Præbeat, æquus Atin fraterno amplectere amore.
Et tu dulcis Atis, curæ pars altera nostræ;

Vnquam

Vnquam si de te merui, fuit aut tibi gratum
Nostri vllum specimen, cari vel pignus amoris,
En tibi do maius; natum, mihi gaudia summa,
Tantum hîc dulce senis, viduiq; orbiq; leuamen,
En tibi trado meum; manibusq; fidelibus vltrò
En depono duas vno sub corpore vitas;
Immò millenas; patri illum reddere cura,
Et patriæ, ille animas nostrum vnus possidet omnes.
Huic serui, hunc serua, deque illo, nomine multo,
Accipe sollicitus solidas in pectore curas;
Tu dux magnus eris, ductorem cum bene ducis.
Olim Iacobus *cum sederit altus Olimpo,*
Carolus *indomitus tunc dux, tunc omnia, tunc Rex,*
Et regni, & mundi faciles iam flectet habenas;
Teq; ipsum ducet, ductorem ducere ductor
Doctus, & ingenti te circumvolvet honore.
Ergo ite, O Iuvenes, parili contendite nisu,
Qui curâ & studio, majori & vincat amore;
Vobisq; è summâ benedicat Iupiter arce.
Sit Deus ante oculos, curæ sit sacra parentum
Relligio, atq; decus regni; & (ni dicere frustra est)
Este mei memores: nec plus; nam plura volenti
Promere, verba ferox pietas in gutture fixit.
Finijt, at Iuuenes lacrimas, quas ille tenebat,
Non retinent; largis sed latè effundere rivis,
Tum primum discunt, flentes & vertere fluctus.
Haud mora; servatis Regis fido ordine dictis,
Aptant seq; viæ; famuli mandata capessunt.
Tum prompti redeunt, Regi vale dicere latè
Si valeant, densasque alijs offundere nubes;

 Lætitiam

Lætitiam vultu simulant, sed corde dolorem
Condunt, vixq; premunt fletus magnâ arte priores.
Iamq; viam arripiunt; mutato nomine, fratres
Fabri *dicuntur; nomen quod signet amoris*
Duritiem firmam, quæ sera in secula duret.
Vultum, habitum fingunt; animum si fingere possent,
Et facerent; præstans natura sed æstuat intus
Pondere sub duro, sontes & prodit vbique:
Adiuvat at novitas, magniq; audacia facti,
Et quæ ipsa incautos homines incuria fallit.
Mirantur barbam subitam, frontemq; novatam,
Seque sibi ereptos fictâ sub imagine rident,
Atque sales passim miscent pro tempore dulces.
Interea, rapido cursu properanter equorum,
Aequora fida petunt; Aquilas magis esse volatu
Credas; atq; ab equis salientes, æquora scandunt;
Rursus equos; facilisq; Dei comitante fauore,
Magnam Lutetiam, *dulcem mihi nomine matrem,*
(Quæ me prima tulit, terris atq; alma recepit)
Intrant; iamq; viæ multo cogente labore,
Tectis se referunt, requies complectitur artus.
At iuvenem interea Carlum *ingens occupat ardor,*
Regalis signum mentis, cordisque benigni.
Iam pridem optatum nunc fratrem visere, frater,
Regales vultus Ludovici, *atq; ora tueri*
Expetit; & miro feruens ardescit amore:
Aulæ seque infert, fido comitatus Achate,
Plurima perlustrans oculis, atq; omnia raptim
Delibans, avidâ deglutit singula mente.
Henrici *ingentis pulcram pulcro ordine prolem*

Cernit,

Cernit, & in visus visus tum proijcit omnes,
Haud visus (nebulâ ceu quondam obductus amicâ,
Phœnissæ ante oculos Aeneas oraq; Didûs)
Nec tamen invisus, Galli bona si sua nossent.
Verum Reginam studioso lumine primam
(Tantus inest animo vehementis morbus amoris)
Conspicit, atq; illâ qualis sit forma sororis
Iudicat, ex Annâ *frontem discitq;* Mariæ.
Præcipuè, Regem rimatur, & omnia quæq;
Facta & dicta notat, cunis qui ad regna coactus,
Fortiter externos infans compresserit angues;
Altâq; (oppositis devictis) pace beatus,
Imberbis veterum Regum iam invasit honores.
Ter statuit fratri collo dare brachia circum,
Ter porrecta manus, toties se obversat imago
(Os humerosq; Deæ similis) pergrata Mariæ;
Illumq; obiurgans avellit, sæua, repente
Fratris ab amplexu, atq; viæ se tradere mandat.
Iamq; heu! discedit metuens nil præter amorem
Carolus, *& longos rumpentes pectore planctus*
Ignorat post se Reginæ linquere matri;
Cum nôrit qualem Heroem, *generumq; potentem*
Et tenet, & perdit, quem nunquam sperat habere.
Carole *quò tendis? quò per discrimina certa,*
Incertus pergis? terras nè desere nostras.
En tibi certa quies, en virgo, en regia coniux,
Quæ (ni omnes vincit) nulli concedit in orbe.
Fata obstant, placidas aliusq; amor obserat aures.
Vlterius sed iam Carlum *comitarier, vltrò*
Clio lassa vetat (vos parcite, parcite Gallo)

Et dolet è nostrâ carum dimittere terrâ.
Quod superest operis, celebris quæ protulit aula
Illustris, grandis, ter grandis regis Iberj,
Regales epulas, pompas, teneros & amores,
Lusus, & pugnas, plures de pace triumphos,
Et tauros, & equos, & apros, cannasq; volantes
Sponte alijs cedo, melius qui talia possunt.
Præclaro Thorio, & prædulci acceptus Etono
Sit labor iste novus; sunt hi qui maxima cantu
Pollent, quiq; metri, faciles, mihi prima dedêre
Semina, & exemplis deiectam attollere musam
Incendêre animum; tales non possidet orbis.
Carlum *cura mihi est ægro jam reddere patri,*
Languenti patriæ vitam, tum gaudia rectis;
Atque etiam tortis; iam namq; boniq; maliq;
Lætitiâ exultant summâ; gratesq; precesq;
Iunctim, certatim, tanto pro munere fundunt:
Festino Carlum *telluri inferre* Britannæ
Ocius, anne audis miranda celeusmata vulgi?
Audis, atq; vides crepitantes æthere flammas?
Efficit hoc Carlus, Carlus *qui lumina nostra est,*
Carlus *qui sanguis,* Carlus *cui viuimus omnes.*
Carlus *enim rediit;* Carlum *manibusq; tenemus,*
Iamq; vident oculi; vix sed manibusq; oculisq;
Credimus; an forsan fingunt sibi somnia amantes?
Salue ô Carle *ingens, salve ô par nobile fratrum*
(Iungit amor quos iura negant) salvete beati,
Ambo fulgentes virtutibus, ambo periclis
Magnos pro patria docti superare labores;
Nunc & amore pares, nunc & redamare periti.

Presertim

Præſertim ſed te Carlum *ſalvere iubemus,*
Et Regni, & Regis, Regionis, Relligionis,
Magnum, Ingens, Sacrū, Prænobile Firmamentum;
Tu qui nos ſalvas, permulta in ſecula ſalve.
Et ſalve, & ſalva; genitore foriſq;, domiq;,
Et bello, & paci, per te in nova tempora ſaluo;
Quiq; tibi & nobis longævos impleat annos;
Carlus *ſiſque orbi tàm re quàm nomine* Clarus:
Et tu, cui natum prudens fiducia Regis
Credidit, & cui nos parili dulcedine regem
Credimus, Immenſum Regi quoque lenimentum,
Salve dulcis Atis; ſemper natoq;, patrique
Fidus, toto illi ſint & tibi tempore grati;
Verum quippe ducem cum ducis, iamq; reducis,
In terris, & aquis, & equis, ac æquore fœlix;
Quiq; comes comis, ſapiens, ſtabiliſq; fuiſti,
Omine dux & re, nunc & cum nomine re dux,
Atq; redux, triplici tandem redimitus honore;
Vive diu Carlo *carus, gratuſq;* Iacobo;
Sedulus, atq; illi rodentes pectore curas
Sceptri demulcens, annos fœliciter adde.
Iamq; vale Clio, quæ carmina ſtricta cliente
Exigis, atq; arcto miſerum ſub compede vincis;
Hoc quod opus ſtatuo poſtremum ſcribere verſu
Poſtibus hic appendo tuis; nunc & rude, feſſus,
Donari cupio; ni dones, en mihi ſumo.
Ad templa, excelſi pandenda & verba Tonantis
Eloquio laxo me ſacra Vrania ducit.

I. L. TVRVALLIVS, SACRAE REGIAE MAIESTATI A SACRIS.